



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Explicatur illud. Sub certa, justaque pensione. Caput IV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40132**

num. 9. sic asserit. In facti contingentia hic Panormi fuit decisum pro Emptoribus fructuum pendentium cuiusdam Viridarii Religionis Melitensis contra dictos Gabellatos, qui pretendebant Ius Gabella fructuum ab ipsis Emptoribus. Et hoc, quia fructus non erant separati à solo tempore Venditionis. Hæc ex Diana, quasiis, & Carolus dicerent, quia illi fructus non erant separati à solo, id est ab arboribus solo affixis, pertinebant ad Viridarium, seu ejus erant partes, atque ad eò immunes à gabellis, sicuti immune erat ipsum

a *Leges Rebel. l. c.* Viridarium. a

Rebel. l. c.

211.

*Quæstioncula incidens, An à Pharmacopola locari possint Medicina?*

b *Delugo*

d. 29. de

Iust. n. 84.

Dian. p. 1.

tr. de con-

tract. ref.

39.

1. Denique ex eo, quod usu consumptibilia, ut modo nu. 2. innui, locari non possunt, resolvitur, an justus sit ille contractus, quem asserit, & condemnat Megala apud Delugo, b quemque ego claritatis gratia sic expeditius propono: Pharmacopola locat per octo v. g. annos alteri officinam, vasa, tabulara, & item medicamenta in vasis contenta, dummodo alter reddat interim triginta aureos v. gr. pro singulis annis, decem pro officina, decem pro vasis, decem pro medicamentis: exactis autem octo annis, omnia reddat integre cum similibus medicamentis. Ut autem sciatur, quid sit restituendum, præcedit æstimatio prædictorum. Resolvitur, inquam, contra Megalam, justam iniri locationem quoad viginti aureos pro officina, & vasis; supponimus enim, per expertos pensionem illam æqualem judicari pro officina, & vasorum usu annuo. At quoad decem illos aureos pro medicamentis dico, claram esse injustitiam, nam medicamenta sunt usu ipso consumptibilia, quæ locationi subjacere non possunt, ut dictum est, & patet, quid enim locas? Respondetis, usum medicamentorum. Legitimè respondisti. At usu ipso medicamenta destruntur; ergo si Conductori illorum usum dedisti, & ipsa medicamenta usu ipso destruenta, dedisti, & consequenter nihil apud te illorum remanet, à quo fructum pensionis exigere possis.

2. Dices, Esto, non sit locatio, erit justa venditio Medicamentorum, seu permutatio horum cum aliis medicamentis in sine designati temporis subrogandis.

Respondeo. Legitimè iterum locutus es. At, si ea medicamenta vendidisti, seu permutasti, erunt illa in dominio euentis, vel possidentis, ergo nihil horum ad te pertinebit, ex quorum fructu pensionem exigas. Solum tunc ea medicamenta, dum non destruntur, remanebunt hypothecata ad pretium venditionis, ut euent in cæteris rebus venditis, pretio non soluto.

3. Quod si dicas, Medicamentorum te remanere Dominum, sequitur, te illa nequam vendidisse, unde & sequitur Conductorem iis uti non posse, cum in iis dominium non possit separari ab usu. Unde & denique sequitur injustè te exacturum fore pensionem e re, cujus dominium, & usus remaneat apud te.

#### CAPUT IV.

#### Explicans illud descriptionis.

*Sub certa, iustaque pensione.*

1. **C**irca pensionem à Conductore solventam, quæ aliquando est in pecunia, non raro autem in fructibus ipsis, puta in tor mensuris frumenti, olei, vini, &c. videndum est, quanta, quando, & ubi solvenda?

§. I.

*Quanta pensio solvenda sit?*

1. **P**rofectò quanta per justam conventionem decreta est: iuste autem decernitur, si iudicio experti, & omnibus consideratis, ipsa non excedat fructus speratos, deductis expensis, cæterisque subducendis, qualia sunt, Gabellæ, debita fortè aliis ex aliis titulis, &c. Hac igitur re, tanquam nimis manifesta, constituta, adhuc.

*Lesio in pensione quid operetur?*

2. Inquires Primo, si sive Locator, sive Conductor lædatur in pensione, daturne ipsis semper actio, qua refarciri læsio possit?

Respondeo, Diximus, cum egimus de c. Ex. l. contractu Venditionis, dari e in foro exte. C. de reg. no actionem, & remedium læso ultra dimidium

dium iusti pretii, non autem læso infra dimidium ejusdem pretii. Diximus item latis communem esse doctrinam, in foro interno semper obligari lædentem refarcire læso, si v. læso fuerit ultra, si v. citra dimidium. Idem ergo dicendum erit de Conductione, & Locatione propter paritatem rationis.

3. Signatè dictum est (satis communem esse sententiam) nam, quando læso est infra dimidium, nonnulli tenent, non obligari, id, quod fufè in superioribus agitavimus.

*Inutilitas rei locatæ, an demat de pensione.*

4. Inquires Secundo. Si fortè res locata inutilis reddatur ad usum Conductoris, si v. ex toto, si v. ex parte, debebitne eadem pensio solvi?

5. Respondeo, esse b distinguendum. Vel enim primo, inutilis res Conductoris est propter impedimentum, quod se tenet ex parte ipsiusmet Conductoris, ut, si ipse, quia est v. g. infirmus, non potest colere agrum conductum, vel, quia fuit in carcerem conjectus, non potuit habitare in domo conductæ, unde ager, & domus Conductoris inutiles fuerunt, & in hoc casu debere à Conductore totam pensionem solvi, dubium nequaquam sit; quia tunc res conductæ veluti paratæ sunt ad servandum Conductoris, & per domum, vel agrum non stat, & c. Nam propterea, si famulum conducas, & per ipsum non ster operari, sed ex eo quod tu, impeditus ob morbum v. g. illi operas faciendas non offers, ad stipendium eidem solvendum obligaris, præcindendo ab alio pacto expresso, vel tacito, vel legitima consuetudine Regionis, quia non est defraudandus sua mercede is, qui ex se tibi servire paratus est.

6. Vel Secundo, inutilis Conductoris est res conductæ propter impedimentum, quod se teneat ex parte rei locatæ, ut, si incendio consumpsit domus, alluvione ager fuit destructus, bello ingruente res derelicta, justa lite ab alio prædium fuit evictum, & in hoc casu Regula Generalis est, quando sine culpa Conductoris hæc, si v. ex toto, si v. ex parte eveniant, esse si v. totam, si v. partem pensionis diminuendam. Semper excipe (nisi, ut modo in simili dixi, aliquo iusto pacto contrarium sit conventum.) Ratio Regulæ est manifesta,

quia pro usu Conductor accepit, & pro eodem Locator rem illi tradidit: hoc igitur usu sine culpa Conductoris amoto, amovendum est onus pensionem solvendi. Immo addi debet, quando in hisce casibus adest culpa Locatoris, ipsum obligari non solum ad damnationem, quæ ea de causa sequuntur Conductoris, sed etiam ad omne lucrum cessans, & quidem non solum ad lucrum cessans intrinsecum, hoc est quanti plures in se alturi erant illi fructus, atque usus rei locatæ, sed etiam ad extrinsecum, id est quantum cum illis lucraturus, deductis deducendis, fuisset Conductor, si cum illis fuisset negotiatus. Ratio, est quia omnium horum causa est Locator, si ejus culpa destitit Conductoris usus rei locatæ. Idem diximus in mutuo, si Mutuanti pecuniam, tempore eam non restituit. Lege Molinam, & aliosque.

*Rem conductam relinquere ob pestem.*

7. Subinquires Primo. Si propter pestem deferatur à me domus conductæ, est ne judicandum, relinqui à me, qui sum Conductor, culpa mea?

Respondeo, Si deferatur rota fere Civitas peste infecta, undè, & tu cum aliis relinquis dictam domum, non est censenda tua culpa, nam propterea pensio à te solvenda non erit. Si vero deferatur à te solum domus illa, erit subdistingendum, nam, si domus est infecta peste, sine tua causa, non debebis pensionem, si vero domus, tua culpa, vel causa contraxit contagium, & idem est, si cum libera sit contagio, illam tamen tu deferere velis, pensionem debebis. Ratio est, quia ibi non tua culpa, hic tua culpa, seu causa, domum derelinquis. Ita Delugo. Esto alii cum Molina absolute negent, à te debent tunc pensionem, & esto alii cum Panormitano, f & Lessio absolute affirmant, saltem ex consuetudine debere: esto (inquam) nam allata à nobis distinctio est rationabilior, dummodo fatearis, si alicubi alia sit consuetudo legitime introducta, non esse ab ea recedendum.

*Res conductæ, si sterilescent.*

8. Subinquires Secundo, si propter sterilitatem ager, vel molendinum v. gr. nullos,

*c Mol. d.*

*493. n. 5.*

*Bonac. di-*

*spat. 3. de*

*contr. qu.*

*7 p. 3. & n.*

*6. a Less.*

*Filiucc.*

*Robell. ab*

*ead. cit.*

*d Delugo*

*d. 19. de*

*rust. n. 29.*

*c Mol. ab*

*eodem ci-*

*tatus.*

*f Panorm.*

*et Less. ab*

*eodem ci-*

*tati.*

*seu*

seu paucos fructus pariat, debet utne tota, & integra pensio?

9. Respondeo Primo. Cum communiter Conductor, in his conducendis, soleat ex pacto in se periculum sterilitatis totum suscipere, sicuti suscipit totam spem abundantiae; ideo communiter tota pensio debetur.

10. Respondeo Secundo, licet ex vi contractus Conductionis hæc pericula, æque, ac spes magni lucri ex ubertate fructuum, pertineant ad Conductorem, ad quem pertinet fructus pro tempore Conductionis, sicuti similia pericula, & spes pertinent ad eum, qui agrum emit, non vero ad eum, qui illum vendidit, ut notat Lessius, a & Molina: b tamen (præscindendo à justo aliquo pacto) ob quandam æquitatem, & benignitatem Juris c introductum est, ut notabili sterilitate ex quacunque causa proveniente, remittatur, vel, juxta mensuram sterilitatis, diminuaturs pensio; id, quod per miniores casus disputatum videri potest apud citatos, & apud Jurisperitos in eisdem leges. Apud quos d etiam habebis, quid intelligatur nomine magna, seu notabilis sterilitatis; An semper incumbat Conductori onus probandi sterilitatem, An, si Conductor renuntiet casibus fortuitis, intelligatur de solutis, An etiam de insolitis, & si de insolitis; An etiam de inopinatis, vel de inopinabilibus, sive quoad sterilitatem ipsam, sive quoad alios casus, &c.

*Rem conductam relinquere Domino, qui eam possit alteri locare, an minuat de pensione.*

11. Subinquires Tertio. Si impedimentum ex ipso Conductore proveniat, relinquatur autem dictus Conductor rem Domino, qui Dominus possit alteri locare, obligabitur ne Conductor ad pensionem solvendam?

12. Respondeo. Obligabitur, & quidem ad totam pensionem: nec enim assentior Lessio e assenti, tunc propter libertatem, quam Conductor relinquit Domino, ut is possit eam rem alteri locare, debere aliquid minus, etiam si deinde Dominus actu non locet (nam si de facto locat, mox dicam) non assentior (inquam) quia tota pensio ex contra-

ctu debetur Domino, & sibi imputet Conductor, quod noluit re uti, nam illa libertas parum utilis est Domino, si de facto non locet, cum, contra, pensio illi certe integra debeatur. Aliqui afferunt contra nos Molinam, f sed, Textu Molinæ diligenter expenso, dico, immerito illum contra nos afferri, neque enim contrarium nostræ doctrinæ docet, nisi quando Conductor consentit. Ecce Molinæ verba: *Si superveniat impedimentum ex parte ejus, qui domum v. gr. conduxit, ut si eam non possit habitare, quia alio migraturus est, vel ob alium fortuitum casum se tenentem ex parte ipsius, tenetur ad pensionem integram solvendam Locatori, nisi cum eo consentiente paciscatur: ut remittat aliquid ratione potestatis, quam illi faciat locandi rem alicui alteri, ut potest juxta ea, que dixi disputat. 489. Ita habetur l. sed homines paragr. cum quidam ff. locati. Hæc Molina. Nota illud (cum eo consentiente?)*

13. Illud tamen esto certum, si Dominus alteri locet æquali pretio suam rem, ut etiam si famulus expulsus à Domino inveniat cui æquali pretio se viat, nihil tunc debet à primo Conductore, vel à prædicto Domino, quia tunc, ipsum Conductorem rem conductam deseruisse, vel famulum fuisse expulsam, nihil damni intulit. Si locet minoris, debet, quod deest ad æquale, certum etiam si ex dictis.

14. Sed quæres, quid si majori pretio? Locasti v. g. Petro domum centum aureis ad annum: deseruit eam Petrus: tu vero eandem locasti Francisco ad eundem annum, aureis centum & decem; ille excessus, id est decem aurei, cui debebantur? tibi, an Petro?

15. Responder Delugo, g Petro Primo Conductori, quia, sicuti res vendita fructificat d. 1. et Domino, qui eam emit, sic res conducta pro tempore Conductionis fructificat Conductori, qui eam conduxit.

16. Sed ego circa hanc questionem duo considerabam. Primum, certum videri, tibi Domino domus debet pretium notabilis laboris, & industriæ, si forte illam adhibuisti, in quaerendo alium Conductorem, ad quem quaerendum tu non obligabaris. Secundum, non videri verum, in hoc casu rem conductam fructificare primo Conductori; Conductor

a Less. l. 2.  
c. 24. n. 16  
b Mol. d.  
495. n. 4.  
c L. Simeres §. Vis major.  
L. Exconductor §. Si vis ff. locati l. Licet C. locati. d. Moll.  
Less. ll. ce. Dian. p. 3. tr. 6. Misceel. ref. 17.  
Bonac. d. 3. de contr. q. 7. p. 3. an. 13.

Conductor enim ille eam rem renuntiat, & Locator acceptat; refumit enim domum suam: ergo fructus erunt Locatoris, qui est Dominus, vel certe, etiam si ejusmodi renuntio valida non esset, adhuc illi fructus tunc non essent Conductoris, quia dum rem dereliquit, videtur etiam abdicare a se, & veluti pro derelictis, habere fructus quoscumque sive copiosos, sive modicos ex illa provenientes. Vidit hoc Molina, & idque non obcurè insinuavit. Licet Locator (ait) non teneatur locare alteri rem illam, possitque accipere integram pensionem à primo Conductore; si tamen illam locet, non facta prius transactione, & compensatione cum primo Conductore, utique tenetur deducere de prima pensione pretium, quod pro secunda locatione accipit, nisi primus Conductor, quasi pro derelicto relinquat usum illum, ac fructuionem illius rei toto illo tempore ad quam habet Ius, etiam si ipse possit eam locare alteri. Haec tenet Molina.

17. Ex dictis ergo ad quaestionem propositam respondendum est, cum distinctione, num si primus Conductor non abdicat a se rem conductam, verum est excessum ipsi competere, at si abdicat, ut certe saepissime accidit, dum is rem conductam derelinquit, tunc sane excessus ille pertinet ad Locatorem, qui est Dominus, & primo occupat.

§. II.

Quando pensio solvenda?

1. Quando aliquod pactum designans tempus praecessit, vel consuetudo Regionis explicuit, solutionem fieri, sive in fine anni, sive in fine cuiusque mensis, & quidem, vel totam, vel partem, dimidium v. g. post Semestrem, & aliud dimidium post finem anni, vel quid simile, non est difficultas; tunc enim ejusmodi pacta, & legitimae consuetudines sunt servandae. At ubi nec pactum adest, nec ulla consuetudo, quando nam solutio erit peragenda?

2. Dico ex circumstantiis, & natura rei conductae id esse dignoscendum. Si enim ad annum loces, vel si ad anni dimidium, vel si ad mensem, certe in fine talis designati temporis erit solutio praestanda; id enim notat illud (ad annum, ad dimidium, ad mensem). Et ratio ulterterior est, quia tunc equum est, ut solvam tibi

Tamburinus de Sacramentis.

pensionem, quando jam habui totum usum rei tuae; at hunc, non nisi usque ad finem concessi temporis totum habeo. Unde propter eandem rationem, si rem naturaliter fructuosam loces, tunc videtur conventum tempus solvendi, quando colliguntur fructus. Quod si loces per quatuor, quinque, plures annos, tunc etiam in fine singulorum annorum erit facienda solutio, quia ex communi usu, & ex legibus b ejusmodi una locatio plurium annorum, aequivalet pluribus annis. c

b L. Scire

3. Histanquam communibus, & certis debemus, jam habitis, mihi sese offert haec dubitatio L. pluribus. Petrus locavit Paulo domum per novem annos, qui Paulus ostendit chyrographa, quae testantur ipsum solvisse pensionem per tres annos ultimos, & proximiores elapsos, tunc solve

debemus. pluribus. ff. de verb. signif. c. Mol. d. 497. n. 1. Bonac. d. 3. de contr. q. 7. p. 3. d. n.

Respondet, cum Textu e Juris, qui sic disponit. Is, qui ostendit se tribus proximis annis solvisse, retro solvisse praesumitur, nisi contrarium probetur. Atque ex hoc (nisi contrarium probetur) sequitur, ut si vere solutae non fuerint obligetur Conductor solvere in conscientia, & Locator eas exigere possit, etiam se occulte compensando juxta Regulas justae compensationis. Excipe, nisi aliqua recto antecedens pars fuerit legitime praescripta.

7. p. 3. d. n. s. à quib. solvisse, retro solvisse praesumitur, nisi contrarium probetur. DD. Qui-Locator eas exigere possit, etiam se occulte compensando juxta Regulas justae compensationis. Excipe, nisi aliqua recto antecedens pars fuerit legitime praescripta.

4. Quid si omnibus conjecturis expensis (expendant Menoch. de praesumptionibus, & Mascardus de probationibus) dubium sit, an Conductor pensionem solverit?

Respondet, deberi à te Conductore pensionem, quia Locator est in possessione Crediti contra te. Vide tamen, quae ego alibi dixi & universaliter de eo, qui dubitat, an restitutionem exhibuerit.

e L. i. in Dec. c. 3. §. 7. V. Restitutio.

§. III.

Vbi solvenda pensio?

1. DE hac re, quando solvendum aliquid contingit ex aliis capitibus, quam ex locatione, egi satis, superque l. 8. in Decal. Nunc ergo ea applicando ad locationem, breviter dico, pensionem debere solvi in eo loco, in quo conventum est, vel, si nulla facta est conventio, debere in eo loco, qui forte est de consuetudine in ea Regione, vel denique,

f L. 8. in Dec. li. 4. c. 1. §. 8.

fff que, si

f. Mol. d. 497. n. 1.

Mol. d. 497. n. 4. ff.

Delap. d. 19. c. 1. n. 3.

que, si nihil est conventus, & nulla est ejusmodi consuetudo, debere solvi in eo loco, quem ipsa natura contractus locationis requirit, hæc autem requirit, ut in eo loco solvas, ubi conduxisti.

## CAPUT V.

## Explicans illud descriptionis.

*Nulla addito injusto pacto.*

1. **I**D vel indoctus quisque non ignorat. Verum, aliqua pacta, quæ dubia apparent, cognoscere, justa ne sint, an injusta, hæc enim vero perdifficile, etiam doctissimis est. Quod tamen facile, spero, reddetur, si hic nonnulla ejusmodi pacta breviter examinemus.

*Primum pactum, quo res conducta promittitur vendi.*

2. Ego loco Cæsari hanc domum pro justa pensione centum aureorum singulis annis, quod si mihi quandoque trader mille aureos, quanti scilicet justè valet domus, cessabit pensio, & Cæsaris erit domus. Estne justa conventio?

*a Azor. 3. p. l. 8 c. 11. q. 6. Filiiucc. tr. 36 c. 5. n. 21.* Respondeo, esse justam, *a* quia, donec solvitur totum pretium domus, est contractus Locationis, & domus est in tuo dominio. Verum, pretio soluto, jam domus venditur, fitque alterius, id est Cæsaris: id, quod ita se habet, si vè æstimes ipso initio domum, si vè non æstimes; modo, quando initio æstimas, æstimatio non facit Venditionem.

3. Explico hoc ultimum. Si æstimes domum, ut sciatur, quantum debeat Conductor, si ejus culpa domus pereat, vel deterior fiat: pari modo, si æstimas, ut videatur, quantum pretium debeat tradere Cæsar, quando domum emet, tunc æstimatio non facit venditionem. At, si æstimes, ut domus transeat in dominium alterius, quamvis pretium solvendum differatur ad annos, æstimatio facit venditionem. Ex hac ergo explicatione, responsio allata manifesta est, nam tametsi Cæsar ad suum libitum possit, vel domum reddere, & illam non emere, vel totum pretium solvere, & sibi, ut venditam applicare domum, injustè àre non agitur, dum pensionem in totum

exigis, quia, non soluto pretio, (quamvis facta æstimatione, quæ tamen non faciat venditionem) domus est tua, & pensio tibi solvitur pro tua re; eo tamen soluto, vel facta æstimatione, quæ venditionem faciat, jam tua non est amplius, sed est ementis, undè cesset tunc pensio, necesse est.

4. Quid si concedo Cæsari, ut domum meam ab ipso conductam possit, si velit aliis vendere?

Respondeo, nec est injustitia, si id rectè fiat (quicquid dicat Azor, & Filiuccius citati) nam donec Cæsar domum alteri vendat, domus est tua, in tuoque dominio perfitur, unde tibi pensio merito, & justè solvitur, sed non post Venditionem, ut dictum est.

*Secundum pactum, quo omnia pericula conjiciantur in Conductorem.*

5. Loco tibi hoc prædium, hunc gregem, hunc equum, modo omne periculum sive fortuitum, sive insolitum, quandoque illud sit, tu subeas. Estne justa conventio?

Respondeo, esse justam, *b* si adsint duæ conditiones. Prima, ut hæc non sit venditio, hoc est illæ res remaneant in dominio locantis, unde si res accidat non perire, debeant omnino eadem reddi tibi locanti, non vero pretium ipsarum. Secunda, ut dematur de pensione solvenda, quantum compensetur tantum onus. Ratio est, quia, si adest prima conditio, cum res non sint venditæ, pensionem ex rebus suis habere justè Dominus poterit. Et rursus, si adest conditio secunda, nulla erit injustitia, siquidem ex diminutione pensionis jam inducitur æquitas.

*Tertium pactum, quo Grex, vel quid simile reddatur in fine Conductionis in eodem numero, & bonitate.*

6. Loco tibi hos ovium greges, hos boves, hos equos, quorum usum, fructumque percipias eo pacto, ut semper debeas conservare eundem numerum, integrumque mihi reddere finito tempore designato. Interim vero pensionem rei locatæ solvas, estne justa conventio?

Respondeo, esse justam, modo serventur